



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Deum esse est demonstrabile à posteriore viatoribus etiam secundum
legem ordinariam. cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

descriptionem, & ipsum sine eo intelligi, ac describi potest: atqui ipsum esse, siue actus purus describi potest absque ratione necessitatis per rationes ipsius esse actualis liberi ab omnipotentialitate: ex hac autem descriptione rectè sequitur à priori actum purum esse ens necessarium, non tamen in illa continetur formaliter ratio necessarij: nam immunitas à potentialitate non est formaliter necessitas, sed pura actualitas essendi: At verò necessitas describi, vel intelligi haud quaquam potest absque ratione ipsius esse: nam necessarium est, quod non potest non esse: quare ipsum esse prius est ratione necessitatis.

IX.

Dico tertium. Si nomen *Deus* sumatur ex aliqua perfectione attributali relativa ad creaturas, hæc propositio *Deus est*, dici potest materialiter demonstrabilis à priori: non tamen absolute ex ratione necessitatis. Prior pars ostenditur, quoniam, ut ostendam sequent. lib. tract. 2. attributa nostro modo intelligendi fundantur, ac radicantur in essentia, & habent inter se ordinem, ac virtutalem distinctionem: hæc autem sufficiunt ad demonstrationem propter quid: quare si nomen *Deus* sumatur ab aliquo attributo. Verbi gratia, omnipotentia, providentia, aut quouis alio, hæc propositio, *Deus est*, in eo sensu erit materialiter demonstrabilis à priori. Patet consequentia: quoniam antequoduis attributum intelligitur essentia tanquam radix, & ratio cuiuslibet: ergo, si sumatur ipsa tanquam medius terminus, per eam ostendi potest ipsum esse de Deo sic accepto: idemque dicendum, si loco medij termini sumatur attributum aliud nostro concipiendi modo prius eo, à quo *Deus* nominatur: dabitur enim eadem ratio prioritatis, ac distinctionis virtualis sufficiens ad rationem demonstrationis à priori. Posterior pars probatur, quoniam ratio necessitatis potius est modus omnium perfectionum diuinarum, quam attributum per se particulare, nec ab ea sumitur à priori ratio omnipotentia, dominij, creatoris, aut similibus attributorum, quæ intelliguntur per ordinem ad creaturas.

X.

Ex his constat firmum non esse fundamentum sententiæ asserentis demonstrari Deum esse à priori per rationem necessitatis, quoniam non est radix attributorum habentium ordinem ad creaturas: & quamvis esset, cum ipsa non cognoscatur à nobis à priori, vel ex terminis euidenter coniuncta cum Deo sub ratione illa attri-

butali, fieri nequit, ut eadem demonstratio sit formalis à priori. Quod clarius apparet ex discursu, quo id probari dicunt oppositæ sententiæ assertores: nam supponitur, inquit, probatum dari ens quoddam per se necessarium. Id verò probatum est à posteriore ex creaturis, ergo primum initium illius demonstrationis sumitur ex cognitione creaturarum: atque adeo cognitio ultimo acquisita resoluitur in principia cognita à posteriore: & idcirco demonstratio non constat formaliter ex primis. Deinde verò id, quod addunt, non video quomodo constet: aiunt enim primum, quod de eiusmodi ente probatur, est esse, deinde esse ab intrinseco necessariū. Quod nam peto est ens, de quo primum probatur esse, ipse est *Deus*, an verò ens necessarium? Si *Deus*, totus discursus sequens erit superfluous, quoniam procedit ad probandum id, quod supponitur probatum: si ens necessarium, aut sumitur secundum absolutam, & omnimodam necessitatem, & tunc hoc ipso supponitur esse necessarium ab intrinseco: nam prius ratione est esse necessarium ab intrinseco, quam esse simpliciter necessarium: sicut enim creaturæ idcirco non sunt simpliciter necessariae quoad esse, quia pendunt à suppositione extrinseca, ita *Deus* idcirco est ens omnimodò necessarium, quia necessitatem habet à se, & non aliunde. Si verò sumitur secundum necessitatem in communi abstrahendo ab hoc, vel illo modo necessitatis, non ex inde colligitur necessitas ab intrinseco: nam ex ratione communi, & indeterminata, non colligitur ratio particularis, ac determinata. Et ita patet ex illo principio, *ens necessarium est*, nullo modo demonstrari posse à priori hanc propositionem, *Deus est*, neque rationem eius sententiæ habere vim. Quod attinet ad sententiam, & argumentum Scoti, ex dictis etiam constat, quatenus admitti debeant, nihil enim amplius ex eo colligitur, quam id, quod in explicatione secundæ assertionis dictum est.

Deum esse, est demonstrabile à posteriore viatoribus, etiam secundum legem ordinariam.

CAPVT V.

NON defuerunt ex antiquis, qui negarent posse vlllo modo etiam à posteriore demonstrari Deum esse: nam id sola fide credendum existimabant. Quæ opinio scribitur à Diuo Thoma quæst. 10. de veritate

veritate artic. 12. Rabbi Moyſi lib. 3. cap. 6. ex Theologis, eandem ſententiam tuetur Ioannes Baſſolis in 1. diſt. 2. quaſt. 1. art. 3. & diſt. 3. quaſt. 1. art. 3. Adamus diſt. 2. q. v. nica. Maior quaſt. 1. conſuſione 2. Allia- cenſis in 1. quaſt. 3. artic. 2. lit. X. Dionyſ. Cifterciens. d. 2. quaſt. vnica art. 2. Gaſpar. Caſalius lib. 1. de quadripartita iuſtitia cap. 16. poſt ſecundam conſuſionem quam ſententiam contendit eſſe de mente An- drea de Nouo Caſtro in 1. diſt. 2. q. 4. eam verò non aliter probant, quam ſoluendo rationes, quibus ab Ariſtot. lib. 7. & 8. Phy- ſicorum, & lib. 11. ac 12. Metaphyſ. & à Theologis communiter probari ſolet De- um eſſe. Eiufdem ſententiæ videtur Gab- riel in 1. d. 2. q. 10. art. 3. dub. 1. vbi per ra- tionem, quam reliquis putat efficaciorẽ, ſufficienter probari dicit, licet non eiden- ter dari primum conſeruans, & efficiens, ſa- uent nonnulli patres, qui docent non ni- ſi per fidem cognoſci poſſe Deum eſſe: in- primis enim S. Maximus centuria prima Theologica cap. 8. *Deus inquit, non nominatur intellectus à nobis, ſed ex creaturis intellectis à nobis ſolum eſſe creditur*: alia eiufdem ver- ba refert Ioannes Cypariſſiota decade 2. cap. 7. vbi ex nullare inquit, *quæcunque illa ſit percipi poteſt, hoc vno excepto, quod per fidem cognoſcitur: idq. ex ijs, quæ ab ipſo eſſe facta ſunt, cognoſcitur inquam quod ſit, non quid ſit*. Eadem ſere aſſerit ipſe Cypariſſiota in proœmio ſuarum decadam dicens. *Quem nempe Deum, nullo modo quauis parte mens capere po- teſt, niſi tantum per fidem ex creaturis eius quod ſit, non autem quid ſit*. Mitto verò rationem, quæ ad hoc ſumi poteſt ex repugnantia ſci- entiæ cum fide: ex qua videtur ſequi, vel non omnes homines habere poſſe fidem de exiſtentia Dei, vel non poſſe habere de- monſtrationem euidentem eiufdem veri- tatis à poſteriore: nã huius difficultatis ex- poſitio ad materiam de fide ſpectat, ſolui- tur autem dupliciter ab Authoribus: prima ſolutio ſumitur ex Alberto in ſumma tractatu 3. quaſt. 17. ad primum S. Thom. quaſt. 10. de veritate art. 12. ad quintum ex 2. loco poſitis, & 1. p. q. 2. art. 2. ad primum. Henrico in ſumma art. 22. q. 4. ad tertium & alijs aſſerentibus Deum eſſe, non eſſe, p- prie articulum, ſed præambulum ad articu- los fidei: atq. adeò nõ neceſſariò per ſere- uelari, ſed in ſubſidiũ naturæ, quæ nõ ita fa- cilẽ, ac certò deuenire poteſt in notitiã eius veritatis; altera eſt aliquorum Thomiſta- rum dicentium ipſum habitum fidei etiam in habentibus ſcientiam per ſe concurrere ad aſſenſum illius propoſitionis, & con- ducere ad inſalibilem eius certitudinem.

Verum, his omiſſis, reſtant alia argu- menta. Primum eſt, quoniam ex creaturis vel cognoſcitur aliqua perfectio Deo pro- pria, vel nulla: ſi nulla, neque demonſtra- bitur ipſum eſſe: nam demonſtratio non eſt de communibus, neque de ijs, quæ ſunt p- accidens: ſi verò cognoſcitur aliqua per- fectio propria Dei, etiam omnes cognoſci poterunt, & conſequenter habebimus in via cognitionem Dei claram, ac diffiniti- uam, quod falſum eſt. Conſequentia con- ſtat, namque cognitio perfectionibus om- nibus alicuius entis habetur cognitio eius diffinitiuã. Secunda pars aſſumptionis o- ſtenditur. Primum quia omnis perfectio diuina eſt aliquo modo participabilis à creatura, & continetur in illa, quali in ve- ſtigio: ergò, ſi ex creaturis venire poſſu- mus in euidentem notitiã alicuius perfe- ctionis diuinæ, in omnium quoque venie- mus. Deinde quoniam inter ipſa attributã eſt ratio aliqua prioritatis ſecundum no- ſtrum modum intelligendi: ergò cogno- to vno cetera cognoſci poterunt. Paret conſequentia: nam ex notitiã vnus attri- buti ad cognoſcenda ea, quorum ipſum eſt ratio prior, progredi poſſumus quodam- modo à priori, ſaltem materialiter: ad ea verò, quæ ſunt priora à poſteriore: & ita cognoſto vno, cognoſcentur reliqua: cur e- nim ex creaturis cognoſceretur aliqua perfectio diuina, & ex vna p- prietate crea- turæ proprietates aliæ eiufdem, ex vno au- tem attributo diuino non poterunt reli- qua omnia demonſtratiuè cognoſci? Se- cundo in omni demonſtratione vera opus eſt procedere à principijs neceſſarijs, & quæ habeant neceſſariam connexionem cum re demonſtrata: in ea verò demon- ſtratione, qua per creaturas Deum agnoſ- cimus, principia nec ſunt neceſſaria, ſunt e- nim de rerum exiſtentia, quæ ſimpliciter contingens eſt, nec habent neceſſariam cõ- nexionem cum exiſtentia Dei, quæ cum ſit ſimpliciter neceſſaria, poteſt eſſe nõ exi- ſtente vlla creatura: ergò ſyllogiſmus, quo ex creaturis Deum agnoſcimus, ſolum o- pinionem gignit, non autem aſſenſum ne- ceſſarium, atque euidentem. Tertio præter cõnexionẽ neceſſariam inter medium ter- minum, & extrema propoſitionis demon- ſtrata opus eſt, vt ipſa cõnexio certò at- que euidenter prænoſcatur, alias non du- cet in euidentem cognitionem eorum, quæ connectit: Sed cognoſto extremò ma- teriali alicuius habitudinis ad aliud non o- puseſt certò, & euidenter cognoſcere ip- ſam habitudinem: nam agnita luce, qua habet habitudinem effectus ad ſolem, non

necessario sequitur, ut cognoscatur habitudo: si quis enim crearetur modo à Deo absque vlla scientia, & antequam solem aspiceret, lucem cerneret, nesciret profecto lucem à sole procedere: quod nobis frequenter vsu venit in mirabilibus effectis, quæ cernimus, quorum causas occultas ignoramus: At Deus homini in statu naturali constituto antè creaturarum agnitionem ignotus omnino est: ergo non est vnde innotescat ipsum esse causam creaturæ. Patet consequentia, quoniam, ut constat in alijs effectis, sola cognitio materialis effectus non est sufficiens ad cognitionem causæ, nisi præcognita habitudine ipsius ad causam: hæc autem prænotio iam inuoluit aliquam notitiam causæ, non enim intelligi potest habitudo inter duo extrema, quin supponatur aliqua notitia illorum, & proinde notitia dependet à creaturarum à Deo supponit notitiam ipsius, tanquam extremi illius dependentiæ: quare, cum hæc non nisi ex creaturis haberi possit, erit circulus, vel saltem impossibile, ut ex solis creaturis Deus innotescat. Vltimò ad omnem demonstrationem supponitur notitia saltem simplex subiecti: ideò enim Philosophus lib. 1. Poster. initio docet de subiecto prænotandum esse quid nominis. Et quamvis non raro hæc prænotio ex vsu, & doctrina habeatur, tamen, si ponamus Adamum, quòdò primò à Deo creatus est, non accepisse vllam Dei notitiam per se, vel per accidens infusam, eamque debuisse mendicare ex creaturis, antè discursum ad id necessarium ex suppositione non posset habere simplicem notitiam Dei: eam non acquireret per discursum, hic enim terminatur ad iudicium supponens simplicem apprehensionem: ergo esset absolute impossibile, ut ex creaturis demonstraret esse Deum.

III.

Alij Doctores existimantes etiam quod ad nos esse per se notum, quod Deus sit, affirmant non posse id à posteriori demonstrari, quoniam id eist contrarationem propositionis per se notæ nobis, quæ non ex aliquo notiore, sed ex sola perceptione terminorum innotescit. Ita docent Agidius in 1. dist. 3. 1. part. primæ partis principalis quæst. 3. Argentin. quæst. 1. artic. 3. ad secundum, & Abulens. quæstion. 2. in cap. quintum Exod. Videtur etiam fuisse sententia Arnob. lib. 1. aduersus Gentes paulò antè medium: vbi cum reprehenderet eos, qui in controuersiam vocabant, an Deus esset, subdit: *Quid ergo res tantas argumentis nitentur, atque labor abimus obtinere. Discedat hæc longè, atque à nobis procul, procul*

inquam, ut dicitur, auerruncetur amentia. Ita enim est periculosum argumentis aggredi Deum, principem comprobare, quam ratione huiusmodi esse illum velle cognoscere. Nec quicquam refert, aut discrepat, virum ne neges illum, an asseras, atque existere fatearis, cum in eadem culpa sit, & assertio rei, & abnegatio refutatoris increduli, & postea subdit verba, quæ retuli cap. 3. quibus docet ingenitam esse à natura cognitionem de Dei existentia, & reddit rationem cur argumentis probari non possit Deum esse. Confirmat Agidius suam sententiam, quia, cum esse diuinum sit ipsemet Deus, si deus demonstraretur existeret, idem esset, quod demonstratur, & de quo demonstratur, & substantiæ esset demonstratio, quod est absurdum. Si verò his Autoribus obijcias Aristotelem, & reliquos Philosophos demonstrasse deum esse, diuersa respondent: nam Agidius concedit quidem Philosophos demonstrasse deum esse, id est, per demonstrationes illas declarasse, quid est, quod importatur per hoc nomen deus. Eo enim ipso, quò declaratur per hoc nomen, deus, importari id, quod penitus est immobile, quod penitus est perfectum, id quo maius cogitari non potest, & cætera huiusmodi, quia tale non potest non esse, statim intellectus consentit deum esse: Argentin. autem & Abulens. negant absolute Philosophos demonstrasse deum esse, sed illa veritate supposita alia deinde probasse, ut quod deus sit prima causa, primus motor immobilis, primus finis, actus purus, & cætera.

nico primum: deus est naturaliter cognoscibilis ex creaturis. Hæc propositio est de fide. Patet ex Paulo ad Romanos 1. ad Rom. 1.

Quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles. Psal. 18. Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum. Sapient. 13. A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri. & Actor. 14. Non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de Cælo, dans pluias, & tempora fructifera, implens cibo & læticia corda nostra. Consentiant Patres Iustinus in lib. de Monarchia dei, Tertullian. Apologet. aduersus Gentes. cap. 17. Iustinus. lib. ad scapulam cap. 2. & lib. de spectaculis cap. 2. Cyprianus de idolorum vanitate, Athanasius orat. contra Idola post mediū, S. Macharius homilia 12. de statu Adæ post imaginem dei perditam, Marius Victorinus lib. 3. aduersus Arium, Basil. in id Isaia cap. 1.

Aristot.

Agid.

Argentin.
Abulens.

Arnobius.

IV.

ad Rom. 1.

Sapient. 13.

Actor. 14.

Iustinus.

Tertullian.

Cyprianus.

Athanasius.

Marius Victorinus.

Basil.

cap. i. Populus me non intellexit, & in id cap. 5. & opera Domini non considerant. Nyssen. orat. II. in cantica versus finem, & disput. de anima, & resurrectione post principium, Hieronym. in id. Prouerb. 30. Quod non est eius, & c. in Epistolam ad Roman. cap. i. & Epistol. 146. ad Damascum, Chrysost. in Psal. 13. & homil. 4. in cap. i. Genes. & homil. 22. in Matth. Augustin. lib. de spiritu, & lit. ca. 12. tract. 2. in Ioannem, & ferm. 55. de verbis Domini. S. Paulin. Epistol. 2. ad Sulpitium, Procopius in cap. 13. Genes. Gregor. lib. 27. moralium cap. 3. super illa verba ca. 36. Iob. Omnes homines vident eum, Beda in cap. 17. Ioann. Theophyl. lib. ad Autholicum, Damascenus lib. i. fidei ca. 3. Euthym. in Psal. 18. Origen. Ambros. Chrysostomus, Sedulius, Theodoretus, Primasius, Occumenius, & Haymo. in cap. i. Epistol. ad Roman.

Dixi autem in assertione cognoscibilis, non verò demonstrabilis, quoniam non sum eius sententia, quam recentiores nonnulli defendunt, qui aiunt esse de fide propositionem Deus est, esse demonstrabilem. Id verò patet, quoniam hoc neque continetur in sacris literis, aut traditionibus: nec est ab Ecclesia diffinitum, aut communi Patrum sententia decretum. Præcipua testimonia scripturæ sunt duo: in primis illud Pauli citatum, in quo magnam vim habent illa verba, Deus illis manifestauit: quæ indicant euidentem notitiam intellectualem. Item illa, Intellecta conspiciuntur, quia vt notat Hieronym. ibidem, tam euidenter intellecta sunt, vt conspecta dicantur. Item illa, Ita vt sint inexcusabiles: nam ex quavis leui opinione non tenetur homo operari, & si oppositam sequatur, excusabilis est, quapropter, cum Paulus dicat philosophos fuisse inexcusabiles, quia, cum cognouissent Deum, non, sicut Deum glorificauerunt, dicendum est habuisse certam, & euidentem notitiam, quæ illos redderet inexcusabiles. Secundum est Sapient. 13. vbi dicitur à magnitudine speciei, & creaturæ potuisse creatorem cognoscibiliter videri, cuius etiam verbum illud, videri, notitiam euidentem sonat. Hæc tamen loca non cogunt, vt dicamus esse ibi sermonem de verò euidentia demonstratiua, sed sufficienter explicantur de notitia quadam moraliter certa, & iudicio probabilissimo. In primis enim, vt circa finem & media, ad illa omnino necessaria teneatur aliquis operari, ita vt, si non operetur, sit omnino inexcusabilis, non requiritur notitia demonstratiua euidentis, sed sat est opinio certior, ac longè probabilior opposita: velut plurimum certi-

tudo moralis: & idcirco ex illis verbis, ita vt sint inexcusabiles, non inferitur ex creaturis euidenter, ac demonstratiuè cognosci Deum. Illa verò alia videri, manifestari, conspici, non necessario inferunt assensum euidentem, non manifestare, hoc enim accipitur in scriptura etiam pro manifestatione ineuidente, in d. & quæ solam opinionem gignat: nam Christus dixit Ioan. 17. Pater manifestauit nomen tuum hominibus, nempe per doctrinam, quæ non gignebat euidentiam, sed fidem, & Ecclesiastic. 7. dicitur: Non omni homini cor tuum manifestes, quæ manifestatio solam opinionem, & fidem humanam gignit in animo audientis: ita verbum manifestare idem est, ac rem antea occultam aperire, siue fiat euidenter, siue non. Verbum autem videri, etiam abstrahit à quouis genere notitiæ siue euidentis, siue ineuidentis, siue certæ, siue opinatiuæ: nam de visione per fidem dixit Christus Ioan. 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem, de opinatiua autem, siue coniecturali dicitur Genes. 3. vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, nempe ex colore & odore coniectans saporem: ita hoc loco videre est suspicari, vel opinari. Item 3. Reg. 13. facto iudicio illo celebri à Salomone de filio mulieris meretricis, dicitur, quod Israelitæ timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum iudicium, quæ visio non erat aliud, quam probabilis quædam opinio ex facto illo collecta. Porro verbum conspicio, licet forte alibi non reperitur accommodatum cognitioni opinatiuæ, cum tamen non habeat maiorem vim, quam verbum video, quod pro illa interdum vsurpatur, non opus est, vt in citatis locis accipiatur vtrumque pro notitia omnino certa, aut euidente, sed sat est si sumatur pro opinione firma, & probabilissima.

Porro traditio, aut Ecclesiæ diffinitio hac de re nulla extat, aut refertur: Patres, quorum sententiæ proferuntur, non dicunt demonstrari, sed solum contendunt ex lumine rationis, & argumentis naturalibus posse hominem in Dei notitiam peruenire: & quamuis alludere videantur ad notitiam euidentem, & modum scientiæ, non tamen ita clarè loquuntur, aut expresse tanquam rem de fide proponunt, vt propterea oppositum erroneum in fide, aut hæresim dicere teneamur, testimonia, quæ plus vrgere videntur, sunt sequentia: in primis Diui Dionysij cap. 7. de diuinis nominibus, asserentis Deum cognosci per scientiam, nempe quoad an est, & per ignorationem, nempe quoad quid est, nomen verò scientiæ importat notitiam cer-

Ioan. 17.

Eccles. 17.

Ioan. 14.

Genes. 3.

3. Reg. 13.

VI.

Mag. Dionys.

tam, ac demonstratiuam. Hic tamen locus non cogit primo, quia nomen scientiæ apud Patres non necessario sumitur pro notitia certa, & euidente, sed pro quauis notitia vera: & hoc ipso loco sumitur, pro vt opponitur ignorantia: at ignorantia non opponitur solum scientiæ propriè dictæ, sed cuius notitiæ veræ. Deinde quia Dionysius ibidem, vt constat ex ijs, quæ sequuntur, alludit ad celebrem distinctionem cognitionis, quam de Deo ex creaturis habemus, nempe per viam affirmationis, & negationis: & eam, quæ per viam negationis habetur, appellat ignorantiam: scientiam verò eam, quæ per viam affirmationis: at per viam affirmationis, non solum scimus Deum esse, sed etiam esse iustum, sapientem &c. quapropter illa glossa Deum cognosci per scientiam quoad questionem, an est, si solum restringatur ad esse Dei, quatenus solum concipitur vt substantia existens, est contra mentem diui Dionysii. si verò intelligatur etiam quo ad an est attributorum, apta est, sed non ad intentum, hic enim solum agimus de ipso esse Dei, quatenus ens est. Illud verò

Cyprian.

Tertullian.

VII.

Albert.
S. Thom.
Caietan.
Ferrariensis.
Tarantaf.
Henricus.
Richard.
Scotus.
Hermens.

Ocham.
Mayron.
Tolletan.
Marfil.
Carthus.
Aureolus.
Palatinus.

Dico secundum. Hæc propositio Deus est, ex creaturis à posteriore est demonstrabilis. Hæc est communior inter Theologos, ita Albertus in summ. tract. 3. quæst. 17. D. Thom. 1. p. q. 2. artic. 2. cum Caietano & lib. 1. contra Gent. cap. 12. cum Ferrariensi. Petrus de Tarantasio vbi supra, Henric. in sum. art. 22. quæst. 1. & 4. Richard. in 1. dist. 3. art. 1. quæst. 3. Scotus dist. 2. q. 3. quem sequuntur Scotistæ ibidem, Heruæus quodlib. 6. q. 3. & in 1. dist. 3. quæst. 2. §. Ista opinio in fine, Hispanens. quæst. 3. art. 1. conclusionem 1. Ocham. dist. 2. qu. 10. lit. O. & quodli. 1. quæst. 1. Mayronius in 1. dist. 2. quæst. 3. Tolletan. quæst. vnica art. 2. conclusionem 1. Marfil. in 1. quæst. 5. artic. 1. conclusionem 3. Barthusianus lib. 1. fidei Orthodoxæ artic. 3. numero 2. Aureolus in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 6. Palatinus dist. 3. disput. 1. fauent ma-

ximè citata loca scripturæ: nam quamuis rem perspicuè non significant, & idè opposita non sit hæresis, vt dixi, conferunt tamen plurimum: idemque dicendum de Patrum testimonijs citatis, qui isdem, vel similibus verbis vtuntur, quibus vtitur scriptura: maximè verò illi, qui dicunt Deum per naturam palam significari, vt Basilus in cap. 1. Maia, vel ex eo, quod omnia ipsius sunt, esse Deum indubitatum, vt Tertullian. citatus, vel cognitionem Dei esse inditā à natura & nō posse latere, quos retuli ca. 3. nu. 7. Idem colligitur ab exemplis, quibus vtuntur: alij enim sumunt similitudinem ab anima, quam ex effectibus ipsius, & operationibus agnoscimus, at animal constare anima demonstratiuè colligitur ab effectibus. Alij à radijs solis, quibus eius pulchritudinem agnoscimus: at ex radijs demonstratione physica venimus in notitiam solis, vel alterius corporis luminosi. Alij vtuntur similitudine cytharæ, ex qua cognoscimus cytharædum, vel alterius operis artificiosi, ex quo venimus in cognitionem artificij: alij alijs exemplis, in quibus euidenter aliquid ex alio colligimus, satis indicantes non minùseuidenter ex rebus creatis nos posse venire in cognitionem Dei. Huiusmodi exemplis vtuntur Irenæus, Athanasius, Chrysostomus, Theophilus Antiochenus citati cap. 1. Eusebius lib. 7. de præparatione Evangelica cap. 2. & Nazianz. orat. 2. de Theologia, & alij. Expresse propositam assertionem tradunt Basilus oratione de verbi incarnatione, quæ habetur tom. 2. bibliothecæ sanctorum Patrum: Si quis pietatis, inquiens, sectator est, is quid sit Deus curiose non inquirat, verum ex ijs, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illudq. certo apud se statuatur, siquidem ex procreaturarum rerum magnitudine, & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoscitur, & spectatur, Nyilen. disputat. de anima, & resurrectione. Nysseus. cuius verba infra referam, Hieronymus citatus in cap. 1. ad Roman. Richard. de sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 11. & Philo Iudæus lib. 1. de Monarchia. Quapropter, opposita sententia est manifeste falsa, vt ait D. Thomas. quæst. 10. de veritate, artic. 12. & tanquam temeraria, & errori proxima censenda est, vnde idem Sanctus Doctor cap. citato contra Gentes, errorem appellauit.

Sed nullo argumento ab autoritate breui ratione concluditur, si non esset demonstrabile ex creaturis Deum esse, aut quia obiectum in se non est scibile, aut quia creaturæ in se non sunt medium

suf.

sufficiens, aut quia intellectus in via nequit ex ijs elicere evidentem notitiam creatoris: non enim apparet alia causa huius, quam ex parte obiecti, medij, aut potentiae discurrantis: nulla verò harum impedit: ergo demonstrari potest à viatore Deum esse. Assumptio probatur, quoniam in primis non est impedimentum ex parte obiecti: nam Deum esse, est propositio necessaria, & aeternae veritatis, & proinde ex hoc capite non refugit scientiam, quod enim verum, ac necessarium est scibile quoque est: respondebit aliquis esse quidem verum, & scibile in se, non autem respectu nostri secundum vires naturae: nam etiam Deum esse trinum, verum & scibile est in se, non tamen homini per lumen naturae. Hac tamen solutione non tollitur vis argumenti: quoniam recurrit ad potentiam, de qua nondum agitur, sed de obiecto, id verò in se, pro ut abstrahit à respectu ad hanc, vel illam potentiam, scibile est; nec etiam soluitur argumentum, si respondeatur esse scibile per visionem, non per discursum: hoc enim est recurrere ad medium, de quo etiam nondum loquor: nam si obiectum in se verum, ac necessarium habeat medium à posteriore, profecto ex se, & ratione obiecti, non excludit scientiam demonstratiuam à posteriore. Deinde non est impedimentum ex parte medij, quoniam ex his, quae sunt notiora quo ad nos, venimus in notitiam eorum, quae sunt notiora à natura, & ex effectis demonstramus causas: at creaturae omnes, quas videmus, & agnoscimus, sunt effectus Dei: omnia enim per ipsum facta sunt: ergo ex ijs potest demonstrari Deum esse. Patet consequentia, quoniam non est ratio, cur ex alijs effectis demonstramus causas, non autem Deum ex creaturis, quae sunt ipsius effectus; siquidem non est minor pendentia creaturarum à Deo, quam effectuum causarum secundarum ab illis: nec minus Deus habet proprios, & peculiares effectus à nulla alia causa producibiles, quam habeant causas secundae inter se: quare, si proprias causas ex proprijs effectibus demonstratiue agnoscimus, Deum etiam ex suis similiter agnoscemus. Respondebitur discrimen esse: quoniam causae secundae habent effectus adaequatos, ex quibus innotescunt: Deo verò, quoniam omnipotens est, assignari non potest effectus adaequatus, ex quo demonstratiue innotescat. Verum hæc solutio peccat fallacia non causae, ut causae: nam ex eo, quod

causae secundae habeant effectum adaequatum, Deus autem non, sequitur quidem non posse elici ex creaturis notitiam diffinitiuam ipsius: Ad notitiam verò demonstratiuam, quod est, non requiritur agnitio effectus adaequati, sed sat est, ut cognoscatur effectus aliquis proprius causae: Verbi gratia anima rationalis secundum proprium gradum specificum habet multos effectus, & actus intellectus, ac voluntatis: tamen ut certò sciamus hunc esse hominem, & habere animam rationalem, non opus est habere notitiam omnium effectuum secundum speciem, qui ab anima produci possunt: sed sat est, ut vel vnum illi proprium agnoscamus, ex quo euidenter colligamus praeditum esse animam. Denique non est impedimentum ex parte nostri intellectus: est enim potentia discursiua ex effectis ad cognitionem causarum procedens, neque est incapax notitiae Dei: & quemadmodum habet vim agnoscendi se ipsum ex eo, quod alia cognoscit, habebit etiam vim agnoscendi Deum, qui est maximè intelligibilis. Accedit, quod natura prouidit rebus omnibus instrumenta naturalia ad consecutionem sui finis naturalis: finis autem naturalis intellectus humani est contemplatio Dei per creaturas: ergo habere debet ab authore naturae vim proportionatam assequendae cognitioni Dei naturali perfectissimae, quae haberi potest ex creaturis per discursum, quae est propria hominis operatio: perfectissima verò operatio naturaliter comparabilis ex creaturis est demonstratiua à posteriore: ergo non deerit homini facultas naturalis ad eam comparandam, & ad hoc applicant nonnulli dictum illud Apostoli ad Roman. I. *Deus enim illis manifestauit*, nempe per lumen naturale ipsorum mentibus inditum, & exhibitionem creaturarum, quae sunt signa à posteriore, ex quibus naturale lumen Deum reperit. In particulari verò ostenditur aduersus eos, qui id negant esse demonstrabilem, quia est per se nota etiam quo ad nos: nam non est per se nota ex terminis, ut probatum est cap. 3. non ex ipsa experientia, & sensu: nam, quae ita per se nota sunt, opus est, ut saltem per accidens sint obiecta notitiae experimentalis: at Deus nullo modo est obiectum notitiae experimentalis, ut per se patet, non enim cadit etiam per accidens in notitiam sensitiuam: nec etiam in intellectiuam experimentalem viatorum, hæc enim solum terminatur ad actus, vel habitus inter nos obiecta sensuum, & alia

entia creata. Quamuis autem hæc pendens ex causa prima, tamen hæc dependentia non innotescit viatori immediate ex sola experientia, ut quiuis in se ipso obseruare potest, sed ex discursu, atque doctrina.

IX.

S. Maxim.

Cypariss.
Turrianus.

Nyssenus.

Quod attinet ad Patres, qui fauere videntur oppositæ sententiæ, nullo modo in eo errore fuisse censendi sunt: alibi enim erpresse docent ratione naturali Deum ex creaturis cognosci, S. Maximus Oecumenicorum centur. 1. cap. 71. *de creaturis inquit, authorem illarum cognoscimus, & ex varietate rerum creaturarum subsistentem sapientiam eius, qui est, discimus, atque ex motu naturali illorum, quæ sunt, subsistentem eius, qui est, vitam cognoscimus.* Idem docet Cypariss. decade 2. cap. 7. & 10. in fine, quapropter Franciscus Turrianus, in scholijs ad citata verba Cyparissiotæ docet hos Patres, & alios, cum hæc, & similia docent, non negare cognitionem naturalem, quæ ex effectibus demonstrari possit, quod Deus sit: sed loqui de cognitione altiori, & firmiori omnibus necessaria, quæ est sola fides, ea verò ratione naturali sine Dei gratia comparari non potest. dici etiam potest hos Patres non loqui de fide, ut distinguitur contra cognitionem naturalem, sæpe enim dicimur habere fidem, & credere ea, quæ naturali ratione percipimus, ut patet ex communi usu loquendi, & in hac eadem materia Gregorius Nyssenus disputat. de anima, & resurrectione post principium: *Et quo pacto, inquit, argumentum, nempe ex ordine vniuersi, quod paulò antè explicauerat, quo Deum esse fides sit, simul etiam animam humanam esse demonstrat.* Ecce pro eodem accipit fidem, & demonstrationem. Quod verò hæc fuerit mens Maximi, & Cyparissiotæ manifestè colligitur ex ipsorum verbis, illam enim fidem, quam alstruunt, ex creaturis haberi dicunt, quod verum esse non potest de cognitione quod Deus sit, quæ habetur per fidem ex auditu: hæc enim solum nititur testimonio Dei reuelantis. Eadem ratione intelligendus est Beda in sermone, vel commentar: in Psalm. 52. ante medium. *Sicut, inquit, ventorum substantia nullatenus cernitur, sed tamen eosdem ventos aliquo modo existere per imensos flatus, & commotionem eorum intelligitur, sic diuina substantia, licet inuisibilis, tamen ex inmensa virtute, & potestate, quam in omnem creaturam exercet, constantissima fide valet agnoscere, ubi apertissi-*

mè fidem accipit pro scientia ex effectibus acquisita.

Primum argumentum etiam militat aduersus eos, qui dicunt ex creaturis solum probabiliter cognosci Deum: nam ipsi quoque respondere debent, quousque ea notitia progrediatur; extendaturne ad omnes, an ad aliquas tantum perfectiones Dei, respondeo autem in primis negando consequentiam: nam licet admitterem cognosci in via quoad questionem an est, perfectiones omnes absolutas Dei, non proinde sequitur habere hominem notitiam diffinitiuam Dei: ad hanc enim non sat est cognitio, an est, singularum perfectionum, sed requiritur propria cognitio, quid est secundum proprias, ac formales rationes singularum; nos autem ex effectibus non cognoscimus perfectiones diuinas, pro ut in se sunt, sed per quandam analogiam ad nostras: & idè rectè ait Magnus Dionys. in lib. de diuinis nominibus cap. 1. Deum nec esse vitam, nec substantiam, nec intellectum, intelligendo nimirum secundum eas rationes vitæ, substantiæ, & intellectus, quas nos agnoscimus: cum itaque singulas perfectiones non diffinitiuè, sed solum quod sunt agnoscamus, & si omnes hoc modo agnosceremus, non proinde haberemus notitiam quidditatiuam Dei. Respondeo secundò, negando secundam partem assumptionis, non enim ex eo quod vnum attributum demonstratiuè agnoscat, sequitur omnia posse cognosci. Ad priorem eius probationem respondeo, esto perfectiones omnes diuinæ essent imitabiles à creaturis omnibus in eius omnipotentia contentis collectiue sumptis, de quo non est hic disputandi locus, non tamen esse imitabiles à singulis: nam vitæ expertia non participant vitam: nec plantæ, aut animantes intellectum. Et idè quamuis homines agnoscerent creaturas omnes, quæ in hoc rerum ordine à Deo conditæ sunt, adhuc supersunt infinitæ alia, inter quas fortè sunt plurimæ perfectiones, quæ carent creaturæ conditæ à Deo: quare licet omnes agnoscantur, non proinde sequitur agnoscere omnes perfectiones diuinas. Ad secundam eiusdem partis confirmationem respondeo in primis negando consequentiam, non enim semper intellectus noster potest discurrendo attingere omnia ea, quæ naturalem habent connexionem: nam Trinitas personarum diuinarum est necessariò con-

X.

Mag. Dionys.

nexa

nexa cum essentia diuina, & hanc cognoscimus naturaliter, illam ignoramus: res naturales habent plurimas proprietates, quarum alias assequimur, alias fugiat aciem mentis nostrae: id verò maxime contingit, quādo solam habemus notitiam, quod est qua sola apprehendimus perfectiones diuinas: & haec est ratio, cur in creatis, ex quibusdam proprietatibus alias cognoscimus, nimirum quia non habemus solam cognitionem quod sunt. Respondeo deinde diuina attributa, etsi omnia necessariò cōnexa sint in essentia diuina, tanquam in radice, non tamen opus esse, vt omnia inter se habeant ordinem rationis, & prioritatis vnus ad aliud: nam si cōparetur simplicitas cum sapiētia, neutra est ratio alterius: quāquam itaque is ordo in aliquibus intercedat, non reperitur in omnibus, atque adeò ex hoc capite minimè sequitur cognitio vno, cetera omnia debere necessariò cognosci.

XI. Ad secundum responderetur demonstrationem ex creaturis non procedere ex earum actuali existentia, tanquam ex principio, sed tanquam manu ductione ad colligendam existentiam aptitudinalem: ex qua fieri potest demonstratio procedens ex simpliciter necessarijs, vt ait Scotus in 1. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad primum*, in responsione ad secundam instantiam, & Mayron. q. 3. in fine: necessarium quippe est dari entia aliqua capacia existentie causabilis, & ipsa experientia euidenter notum: quin verò ad demonstrationem physicam satis sunt principia, quae contineant physicam necessitatem, qualis cōsetur ipsa actualis rerum existentia: & ita concedi posset cum Heruāo citato demonstrationem, quae procedit ex existentia, procedere ex necessarijs. Quando verò dicitur connexionem creaturae cum Deo esse contingentem, similiter distinguendum est de actuali & aptitudinali: & quamuis actualis tolli possit desinente creatura, aptitudinalis nequaquam: dependentia enim creaturae à Deo, vel est substantia ipsius, vel inseparabilis proprietas, qua proinde creatura existens exui nequit: quomodo actualis dependentia comparata cum creatura actualiter existente necessaria simpliciter est, nec viā virtute separabilis. Respondeo secundo cum Alberto in 1. dist. 3. ar. 1. ad quartum, & art. 2. ad tertium, vt ex vno demonstratiuè inferatur aliud, non requiri mutuam necessitatem connexionis ex vtraque parte, sed ex ea, à qua sumitur argumentum: & ita inter creaturam, ac Deum dari necessariam connexionem, non ex parte Dei, quoniam esse

potest abique omni creatura, sed ex parte huius, quae si est, necessariò pendet à Deo: atque adeò ex eius existentia necessariò & euidenter colligitur existentia Dei. Ad tertium responderetur discursum ex creaturis non assumere pro medio dependentiam à Deo, sed existentiam absolutam ipsarum: ex qua deinde per disunctionem sumitur, quod talis existentia vel sit ab ipsis creaturis, vel ab aliquo alio, & per exclusionem prioris membri tandem longo discursu concluditur, quod sit ab vno alio primo, & quod hic sit Deus: & ita concedendum est ex sola existentia creaturarum absque alijs principijs assumptis non demonstrari esse Deum; quemadmodum ex sola existentia lucis, vel alterius effectus non agnoscitur sol, aut alia causa, nisi praecesserit experientia, quod effectus ab illa causa procedat: & quod in his effectibus facit experientia, in creaturis respectu Dei facit discursus intellectus; Ad id verò, quod obijcitur praenotionem habitudinis ad causam iam inuoluere notitiam causae: Responderetur, si habitudo cognoscatur, vt inter duo extrema certa, ac determinata, necessariò inuolui notitiam extremorum: at, si ex altera parte sumatur, vt terminata ad extremum incertum, ac indeterminatum, non opus esse, vt adsit certa, ac determinata notitia illius: Verbi gratia, si cognoscatur Salomon esse filius alicuius hominis, non exigitur, vt cognoscatur esse filius Davidis: similiter in discursu, quo Deus ex creaturis demonstratur id, quod primo ac perse ostenditur, est dari causam aliquam primam, à qua creaturae omnes dependeant: & proinde nondum habetur notio Dei determinatè, sed in confuso & generali: postea verò alio discursu concluditur hanc causam non esse aliam, quàm Deum, & ideò non datur circulus, nec impossibile est Deum ex creaturis agnoscere.

Vltimum argumentum non habet peculiarem vim ad impugnandam traditam doctrinam: nam etiam mentem nostram cognoscimus ex ipsius affectibus non praesupposita specie illius, item illi qui aiunt ex creaturis solum probabiliter colligi esse Deum, tenentur dicere quomodo ad iudiciū illud probabile praesupponatur cognitio simplex Dei, quia tamen lōgior huius dubij explicatio spectat ad aliū locū, breuiter respondeo, species ipsas, & notitias creaturarū inferuire ad formandum conceptum Dei: verum eum non formari primo à nobis sub esse determinato, sed sub communi

XII.

aliqua ratioe, vt paulò ante dictum est: notitiam verò eius rationis còmunis præcedere discursum. Verbi gratia, si homo ex rerum naturalium consideratione videat alias gigni, ac dependere ab alijs, ex hoc sumit notionem causæ & effectus, deinde ulterius progrediendo inquit, an omnia fiant ab alijs, an verò sit aliquod ens, à quo cætera pendeant, & ipsum sit à se omninò independens: quod postquam per discursum còcludit, coniungens rationes illas, & ens, format còceptum entis independentis & necessarij, causæ primæ, & similiù, quod describit suo modo Deum. Ex quibus patet responsio ad argumentum, dicendum quippe est doctrinà Aristotelis intelligendam esse de communibus demonstratiombus usurpatis in scientia, quibus ostenditur passio de subiecto præsupposito, de quo prænosendum est quid sit, quoad nomen, & quod sit: at in demonstratione, qua inquiritur an sit, neutram suppositionem esse necessariam: non secundam, vt patet, quia id, quod quæritur, nò supponitur: nò item primam sub proprio, ac determinato conceptu, sed sat est prænoscere còmunes quasdam rationes, quæ deinde applicatæ subiecto, reddant rationem illi soli conuenientem. In forma autem dico, in suppositione argumenti non posse præsupponi determinatum conceptum Dei, & consequenter in primo discursu non concludi absolutè esse Deum, sed esse ens aliquod segregatum à cæteris, principium & causam omnium, & à nullo accipiès esse: quorum omnium terminorum simplices apprehensiones præcedere potuerunt ante eum discursum vt còsideranti patebit: Et ita discursus ille supponit quid nominis terminorum, qui coalescunt in còclusionem in ratione vnius subiecti: terminatur verò ad assensum, quo mens iudicat dari eiusmodi ens: ex quo deinde facillè est imponere illi nomen vnum respòdens vnica apprehensioni, quæ còfusse formari potest ex coniuncto illarum rationum.

XIII.

Ad authoritatem Arnobij respondeo, mentem eius non esse, ita per se notum esse quòd sit Deus, vt nullo modo demonstrari queat: alioquin non ibidem dixisset cum Deo loquens: *Non est mirum, si ignoraris: maioris est admirationis, si sciaris.* Nam quomodo dignum admiratione est scire id, quod ad eò per se notum est, vt probatione non egeat? Solum ergò vult non opus esse longa disputatione ad id probandum: quod facillè ex lumine naturæ, & ipso mundi aspectu & còtemplatione potest agnosci. Nec verò Arnobius ait nò posse propter euidentiam

probari esse Deum, sed solum esse periculosum: quasi is, qui hoc probare aggreditur in dubium reuocare videatur veritatem adeò perspicuam. Ad argumentum Ægidij neganda est sequela: nam licet ex natura rei nò sit distinctio inter Deum: & esse ipsius, tamen respectu nostri intellectus concipientis Deum, vt subiectum, & esse, vt formam ipsius, est distinctio sufficiens subiecti, ac prædicati propositionis non identicæ, quæ sat est, vt id quòd demonstratur, nò dicatur idem prorsus cum eo, de quo demonstratur. Quamuis autem apud Philosophos non sit frequens vsus demonstrandi substantiam aliquam, esse tamen de substantijs separatis interdum id demonstrant. Nec verò satisfacit solutio Ægidij. eamque benè impugnât Heruæus in 1. d. 3. q. 2. §. *Heruæus.* *Ista opinio*, in fine, non enim intentio Philosophi lib. 8. *Physic.* aut 12. *Metaphysic.* est declarare, quid nominis Deus, sed ostendere esse substantiam aliquam immaterialem, primam, æternam, & increatam; neque, vt iam alibi ostendi, verum est, posita illa explicatione nominis *Deus*, statim ex terminis sciri ipsum esse, solutio quoq; Abulensis, & Argentin. non satisfacit: nam Philosophus ex creaturis ac motu procedit ad agnitionem Dei: in quo discursu prius peruenitur ad notitiam vnius motoris immobilis, & vnius causæ primæ, quam ad agnitionem Dei sub hoc nomine & conceptu. Etenim motui formalius ac propinquius respondet ratio primi motoris, & effectibus ratio primæ causæ, quam ratio Dei sub hoc nomine & conceptu: & ita ex discursu per creaturas prius cognoscitur Deus sub ratione primæ causæ, & primi motoris, quam sub ratione deitatis: & idèd demonstratione à posteriore Aristoteles demonstrat Deum esse, quia est primus motor, & causa prima, nec absque probatione supponit Deum esse: imò 12. *Metaph.* tex. 35. & 36. ex eo quòd sit aliquid motum non mouens, & aliud mouens, perpetuò motum, concludit esse primum motorem immobilem: quem deinde ait debere esse æternum, substantiam, & actum, quæ omnia à posteriore colligit ex motu.

Aristoteles.

Osten-